

esset impropria locutio Apostoli in illis verbis: *Qui prædestinatus est Filius*, et quod est extorta expositio dicere, prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in Persona. Unde clare constat, quod non impugnavit illam opinionem, quia dicebat, quod humana natura est prædestinata ad unionem, sed quia ex hoc inferebant, quod esset prædestinata, ut esset Filius Dei in sensu Apostoli, et S. Thomas admittit quidem rationem illorum, scilicet, quod natura fuit unita Verbo, et Filio Dei, sed impugnavit, quod ex hoc inferebant prædestinationem scilicet factam in Christo ad filiationem de qua loquitur Apostolus, intelligendam esse de natura, et hoc bene impugnatur a S. Thoma quod esset impropria locutio Apostoli, et extorta expositio ex unione inferre prædestinationem ad filiationem.

XLII. Quod notandum est propter Vazquez, qui in hac parte valde hallucinatus est disputatione xc, cap. iv, ubi numero xxvi refert S. Thomam in hac solutione ad secundum impugnando illos, qui intelligebant verba Apostoli: *Qui prædestinatus est Filius Dei*, de natura humana; postea in eodem capite, num. xxx, inquit, quod dixit S. Thomas in illa solutione secundi, difficile est, qua ratione negaverit id quod illi dicebant, nempe naturam humanam esse prædestinatam; illi enim loquebantur de prædestinatione illius ad unionem, et in hunc sensum intellexit sanctus doctor. Hæc Vazquez. In quibus verbis in primis apparet contradictio, æquivocatio, et contradictio clara, quia in principio capitis dixerat, quod S. Thomas illos impugnavit, quatenus dicebant quod, qui prædestinatus est Filius Dei, referendum erat ad naturam, et sic clare explicuit illos de prædestinatione ad filiationem, et postea inquit, quod intelle-

xit eos de prædestinatione ad unionem, quæ sunt valde contrariæ, et diversæ explicationes. Æquivocatio est clara etiam propter dicta, quia non distinxit Vazquez inter rationem, et conclusionem illius opinionis. Ratio erat, quia est unita Filio, conclusio, quod propter hoc intelligerentur de illa verba Apostoli: *Qui prædestinatus est Filius Dei*; et Vazquez ponit rationem pro conclusione illorum, quod non est ita; in ratione autem est veritas in illa opinione; in conclusione vero falsitas, quia esset impropria locutio Apostoli, et extorta expositio.

XLIII. Præterea prosequitur Vazquez impugnando S. Thomam dicens: Adde quod licet eorum sententia falsa esset, non recte illam impugnet sanctus doctor et probat hoc, quia licet non sit natura prædestinata ad visionem, quia operari non est naturæ, sed suppositi, non inde sequitur non posse prædestinari ad unionem, verum explicari potest ut ante diximus, quod solum voluerit non esse prædestinatam humanitatem ut sit Filius Dei, ne sit contrarius sibi in tertio. Hæc Vazquez. In quibus satis apparet cupiditas hujus auctoris ad impugnandum S. Thomam, si quidem sine ulla necessitate fingit quid impugnet in illo, quia S. Thomas explicationem, quam ipse Vazquez addit expresse ponit in littera, quod videlicet impugnet humanitatem prædestinari, ut sit Filius, quod clare impugnavit S. Thomas in secunda ratione, scilicet, quod humanitas non est filia proprie. Et similiter recte impugnavit illam opinionem ut falsam in priori ratione, quam rejicit Vazquez, sed ad beatitudinem, et filiationem, et quamvis Vazquez teneat oppositum, scilicet, operari non esse solius suppositi, sed etiam naturæ abstractæ referendo se supra disp. xxi, capite ii, ubi illam sen-

tentiam defendit, et secundum illam, quod potest prædestinari natura ad visionem beatam, hoc falsum est, tam principium, quam illatio: de principio supra diximus disputatione prima, et de conclusione dicemus infra articulo iv hujus disputationis.

XLIV. Quinto, arguitur etiam contra secundam conclusionem: Humanitas non est ens completum; ergo non potest esse prædestinata. Patet consequentia, quia prædestinatio est entis completi, et suppositi; dum ergo natura humana significatur per modum partis, significatur ut ens incompletum; ergo si dicitur prædestinata, non est proprie, sed improprie.

XLV. Respondetur, quod circa modum loquendi de prædestinatione humanitatis varie procedunt auctores. Medina hic tenet, quod humanitas est vere prædestinata, sed non proprie, quia non est ens completum, et solum Christus dicitur proprie prædestinatus, quia primo, et per se terminatur prædestinatio ad illum, et secundo ad extrema, ex quibus componitur Christus: in hoc Suarez impugnat Medinam tamquam sibi contrarium, et Cabrera hic ad quartum illum defendit, et excusat a contrarietate, quia quando affirmavit, solum posuit vere prædestinari, et quando negavit, negavit proprie, in quo nulla est contrarietas, et multum laborat in re minus difficili.

XLVI. Dicimus ergo supponendo, quod non loquimur de prædestinatione humanitatis ad filiationem, vel ad beatitudinem, sed solum ad unionem, quod prædestinatio qua prædestinatum fuit, hoc compositum Deum esse hominem, vel Christum, est prædestinatio proprie, ut articulo sequenti videbimus, et terminat primo, et per se ad hoc totum compositum; secundo ad uniendum extrema ut fiat totum,

sicut generatio hominis terminatur ad totum hominem ponendum in re primo, et per se, tamquam ad terminum quod, quam ponit extra causas, et quasi secundo ad uniendum animam cum corpore. Sic prædestinatio Christi est ad hoc compositum Christus primo et per se, et tamquam ad terminum quod; ex consequenti vero, et quasi secundo ad extrema, quæ uniuntur ex vi prædestinationis in toto per se intento. Si ergo sensus sit, quod humanitas non est proprie prædestinata, tamquam terminus primo, et per se intentus, verum est; si tamen tamquam terminus secundarius, inclusus tamen in prædestinatione propria, falsum est, quod hoc modo non sit proprie prædestinata, quia licet secundo, et ut quid incompletum, prædestinata est ex vi proprie prædestinationis. Sicut in prædestinatione hominis, totus homo prædestinatur primo, et per se, et partes quasi secundo, et potentia, sicut intellectus, et voluntas, imo et corpus ad gloriam resurrectionis, et quamvis sint entia incompleta prædestinata, ex vi tamen prædestinationis proprie sunt prædestinata proprie.

XLVII. Sunt enim aliquæ rationes, quæ et proprie conveniunt toti, et partibus ejus, quamvis aliæ non, verbi gratia, brachium non est homo proprie, sed pars hominis; tamen vere, et proprie vivit, et sentit, quamvis sit pars viventis: sic prædestinatio, quæ tendit ad compositum significatum per ly Christus, ponendum in re proprie, etiam est prædestinatio propria extremorum, sicut actio unitiva, et productiva compositi unit partes. Nec contra hoc videtur esse dissensio inter auctores, et patet solutio ad argumentum. Quod vero dicenda sit humanitas prædestinata absolute, vel cum illo addito ad unionem, responde-

tur ex dictis, quod quando conceditur proprie prædestinata, debet intelligi ad unionem; si vero intelligatur ad filiationem, vel beatitudinem est improprie prædestinata; absolute vero sine aliquo addito potius videtur impropria, quam propria, quia absolute non est prædestinata, sed solum est comprædestinata.

XLVIII. Dices: Aliud extremum, scilicet, Filius non dicitur prædestinatus ad unionem cum humanitate; ergo neque humanitas dicitur prædestinata cum Filio. Patet consequentia, quia humanitas, et Filius sunt extrema in hac unione.

XLIX. Respondetur, quod ut dictum est ad tertium quantum ad primam, et secundam conditionem: ideo hæc est falsa; Filius prædestinatur ad unionem, quia in Filio Dei non est inferioritas, nec posterioritas respectu prædestinationis, et ideo debet poni additum ratione cujus utraque conditio verificetur, ut si dicamus: Filius Dei prædestinatur esse homo, ut dictum est in prima conclusione, tamen humanitas secundum se sumpta potest habere inferioritatem, et posterioritatem respectu prædestinationis, et ideo potest dici prædestinata ad unionem. Quod expresse docet S. Thomas in tertio ad Annibaldum, dist. x, quæstione unica, art. v, in corpore ubi inquit: « Prædestinari est ad gratiam præparari, præparari vero ad gratiam unionis convenit naturæ, quæ est unita. Personæ autem non convenit secundum se, sed in quantum est suppositum humanæ naturæ. » In quibus verbis conceditur ista: Humanitas prædestinatur ad unionem, et negatur ista: Filius prædestinatur in eodem sensu, et conceditur ista: Filius in quantum suppositum humanæ naturæ prædestinatur.

L. Sexto, arguitur contra ter-

tiam conclusionem: In prædestinatione alicujus termini debet assignari subjectum respectu talis termini, quia prædestinatio est ordinatio unius ad aliud; sed respectu hujus termini qui est, hoc compositum: Deum esse hominem, non est subjectum, sed potius ipsum compositum est subjectum prædestinationis Christi ad filiationem, vel gloriam; ergo hoc compositum non est terminus, seu objectum prædestinationis.

LI. Respondetur, quod quando aliquid prædestinatur ut subjectum alicujus termini ad quem, ex vi prædestinationis ordinatur, quamvis posset dici, quod prædestinatio terminatur ad ipsum subjectum, non est necesse, quod respectu illius assignetur aliud subjectum, quia non est intentus a prædestinatione ut terminus pure, et sic contingit in præsentibus, hoc enim compositum Christus taliter terminat prædestinationem, quod non est simpliciter terminus, sed terminus immediatus intentus, ut ordinandus ad alium terminum, ut docet S. Thomas in III, dist. x, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum, ubi inquit: « Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem: » et statim: « Filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed sequitur ad unionem. » Præterquam quod posset dici, quod ipsa extrema unita in Christo ex vi prædestinationis, scilicet Persona, et humanitas, quælibet suo modo, sicut dicuntur prædestinari, ut fiat homo juxta dicta in præcedentibus, et ad id ordinari, possunt dici in fieri considerata quasi subjectum comparative ad prædestinationem compositi in facto esse; sicut in generatione hominis dicuntur partes ex quibus homo resultat, quasi terminus a quo respectu compositi in facto esse.

LII. Ultimo, arguitur contra quartam conclusionem, et ejus censuram. Fundamentum conclusionis sunt verba Pauli ad Romanos I: *Qui prædestinatus est Filius Dei*, sed ex vi hujus auctoritatis nulla prædestinatio admittitur in Christo; ergo nec conclusio, neque censura ibi posita est admittenda. Probat minor dupliciter: primo, quia etiamsi admittatur participium prædestinatus, potest intelligi pro eo quod manifestatus, juxta consuetudinem sacre Scripturæ, in quo sensu glossa ad Romanos I explicat participium prædestinatus, ut adducit S. Thomas in III, dist. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula II, in corpore, et hic articulo primo ad tertium.

LIII. Secundo, quia in textu Græco loco illius termini prædestinatus, ponitur alius terminus, qui correspondet Latine huic participio prædefinitus, et ly diffinitus duas habet significationes principales. Prima est idem ac statuere, ac determinare: secunda est, declarare, seu manifestare, propter quod dicunt dialectici, quod diffinitio est: Oratio naturam rei, aut termini significationem exponens, et locum illum patres Græci intelligunt in secunda significatione, quæ est idem quod declarare, Chrysostomus ibidem homilia I, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus libro de fide ad reginas, Damascenus libro IV de fide, cap. XIX, Erasmus in annotationibus. Et ratio est, quia ista significatio est magis usitata in lingua Græca, et quia facilius solvit, vel vitat difficultatem maximam prædestinationis Christi.

LIV. Respondetur illam expositionem in primo sensu adduci a S. Thoma in illis locis, et illam non sequitur, sed rejicit hic art. I ad tertium: « Sic non proprie prædestinatio accipitur, nam aliquis dicitur proprie prædestinari secundum

quod dirigitur in finem beatitudinis; beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione, et ideo melius dicendum est. » Hæc S. Thomas. Quoad alium sensum respondetur cum Lorca hic disput. LXXXV, membro I, numero IV, quod licet locus ille habeat illam expositionem, etiam habet nostram, quia vulgata transtulit verbum Græcum non in significatione declarandi, sed determinandi, vel statuendi, et sic posuit verbum prædestino, quod cum proprietate solum significat prædeterminationem, vel præordinationem, et vulgata debet admitti tamquam vere sacra Scriptura ex decreto Tridentini. Et non est inconveniens, quod unus locus habeat duplicem sensum, et in præsentibus uterque iste sensus potuit esse intentus a Paulo, comprehensus in verbo Græco, scilicet, et quod Christus sit prædestinatus, et quod sit declaratus Filius Dei, et sic debet nostra expositio admitti, et illam negare non excusatur a censura, in eo gradu certitudinis, quo ex textu vulgatæ Latinæ sequitur veritas conclusionis.

LV. Vel secundo posset dici, quod quamvis non admitteretur sensus ille verbi in Græco positi, non poterat negari textus vulgatæ, sed dicendum erat quod, quia vulgata transcripsit non in significatione statuendi, vel determinandi per verbum prædestino, iste sensus debebat admitti tamquam legitimus Pauli in illo loco.

ARTICULUS II.

Utrum Christus absolute, vel in quantum homo, sit proprie prædestinatus Filius Dei?

I. Supposito quod Christus sit prædestinatus quantum ad esse